

luris, quod est Orbis Lunæ centrum vel ascenderit, vel descenderit per orbis sui spissitudinem. Nec hercle scio, quorsum magis inclinent Cosmographicæ vel etiam Metaphysicæ rationes. Concinnum quidem negocium esse videtur: vt non sit in cælo orbis aliquis, qui talem gerat nodum, velut annulus gemmam, cuius eminentia obsit, quò minùs absolutissima constet orbi rotunditas. At vicissim in censenda figura orbis quid attinet Lunæ rationem habere, cum illa non propriè ad orbem terræ veluti cæterorum Planetarum euagationes in altum, in profundum (quæ physicè commodissimè per epicyclia demonstrantur) velut, inquam, hæc epicyclia ad suū quodque orbem pertineat? Tellus enim est cui orbis ille tertius à Sole debetur, ipsa eius remigio inter cæteros Planetas Solem circumit, ipsa per se, perque sua epicyclia nullo ad hoc Lunæ vsa ministerio suas perficit varietates, vt docent Copernici placita: Luna verò hanc circatellurem exiguam de munculam quasi precariò aut conductam obtinet, Luna sequitur vel trahitur potius, quocunque Tellus quacunq; varietate graditur. Finge Tellurem quiescentem, nunquam Luna viam circa Solem inueniet, nedum circumueniet. Discursitat enim hinc inde angustis inclusa spacijs circa terram lucis humorumque Telluri ministra, veluti Atriensis aliquis circa herum, aut veluti qui in naui obambulant, neque tamen sese fatigando proficiunt in itinere, nisi magna vis aquarum incertos quorsum eant, & vel quietos promoueat. Atq; vt spacium Luna ex orbe terreno, motumque sortita est, sic & multas condiciones globi terreni adeptam, puta, continentes, maria, montes, aerem, vel his aliqua quocunque modo correspondètia, multis cõiecturis Mæstlinus probat, nec nullas ego habeo; vt vel ob hoc solum verisimilior sit Copernicus, qui eandem loci motusque communionem duobus hisce corporibus largitur. Ac certè *φιλόθεωπος* Creator vltimò vestiuisse videtur Tellurem hoc orbe Lunari: quia similem ei situm attribuere voluit, situi Solis: vt si & ipsa orbis aliquis centrum esset (vt Sol est centrum omnium) instar Solis cuiusdam haberi posset, ob quod ipsa totius vniuersi commune centrum communiter quasi habita fuit.

Est omnino, vt denuò ludam Allegoria, homo quidam quasi Deus in mundo, & eius domicilium Tellus; sicut Dei, si illum corporeum

poreum